

Epiphaniï ex Græco in Latinum sermonem conuerſum fuiſſe, ſed tantùm illa paratitla & capita hæreſeôn nota, & Latina lingua donata, quæ cuiuſque libri tomo & ſectioni præfigi ſolent. Neque verò ex hoc Auguſtini loco quiſquam exiſtimet Panarium eſſe nothum & ſuppoſitum Epiphaniï opus. Eſt enim γνήσιον & germanum. Sed ad rem ipſam & hæreſeôn enumerationem, ſiue catalogum accedamus, Dominum precati, vt ab omnibus iſtis venenis ſemper liberemur: ſacro autem & puro ipſius verbo tanquam firmiſſimæ ſalutis & fidei noſtræ ancoræ ſemper constantérq; adhæreamus. Amen.



Hæreſes ab orbe condito ad Chriſtum Dominum noſtrum paſſum.

*Ex Epiphanio, & aliis, per
L. Danaum.*



QUÆ ante Chriſti aduentum fuerunt hæreſes, eæ enumerantur, & recenſentur numero viginti, quæ cæterarum omniũ ſunt prima velut origo, & ſtirps. Sed ex iis viginti tamen ſunt primæ quædam & præcipuæ, & tanquam reliquarum fontes quatuor, nimirum Barbariſmus, Scythiſmus, Helleniſmus, Samaritaniſmus, vel Samaritiſmus, qui & Pſeudoiudaïſmus. Id quod colligi poſſe putat Epiphanius ex hoc Pauli loco, qui eſt Colof. 3. verſu II. ὅπου οὐκ ἐν ἑλλήνῃ καὶ ἰουδαίῳ, περὶ τὴν ἀκροβυστίαν,